Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2307

Quelle:
Copyright:

a concedendo Calice alienam fuisse, ut ejus docet Historia. Interim *Pilzna* obsidione liberata, et ipsa Ascensionis Domini luce magna de *Taboritis* relata fuit victoria, quam *feria supracit.* mirum est nondum scivisse *Nicolaum* nostrum. Virum doctum fuisse comprobant bini etiam Tractatus *mss.* citati in *notis* ad *Balbini Bob. doctam* P. II. p. 193. ubi a. 1421. *Stephano* scriptis a *Bern. Pezio* in *Thes. Anecd.* et *Biblioth. Ascet.* editis noto successisse in Prioratu *Dolanensi* traditur. Successit vero etiam in *Olomucensi;* putem enim annum mortis ejus 1425. in *Nota* praedicta in mendo cubare. *Petreji* Bibliotheca Ord. *Carthus.* Virum ignorat. Nos alio adhuc Codice memoramus.

VII. *fol.* 63. rursum *Basileensia.* 1) Decretum de Electionibus. *Sess.* XII. 2) Decretum de Conciliis Provincialibus. *Sess.* XV. 3) Decretum de Judaeis *Sess.* XIX. 4) Decretum de Concubinariis. *Sess.* XX. Adhaerent e *Sess.* XXI. De pacificis Possessoribus, et aliud *De causis tractandis,* quod in Actis non reperi. 5) *Peticio exhibita 17. decembr. per petrum fride procuratorem Episcopi Patav. 1433. in singulis deputacionibus.* Laus *Alberti* Ducis *Austr.* Verum *nonnulli eius zelum cognoscentes Ipsum ad prosequendum ea ad extraordinarias vias ducunt, cum tamen via ordinaria non deficeret. Sed valde suspicandum videtur, ut informatores hujusmodi se sperent visitatores Monasteriorum et clericorum constitui* &c. Si sint religiosi, prosequitur, *suas foueant cellulas,* si Professores sacrae Paginae, *discant prius Juris et regiminis ecclesiastici practicam,* Visitationes canonicas Episcoporum esse, non igitur mittendos alios, *quorum multi visitari deberent pocius, quam visitare,* injuriosum hoc fore toti Clero *Passaviensi, qui inter ceteros Alemannie clericos honestius viuit* &c. Efficacem in parte fuisse *Fridium* docet supra N. III. 6) *Juramentum Ambassiatorum Domini pape.* Nempe *Eugenii,* a. 1434. ut in *Actis* Edit. *Venet. Labb.* T. XVII. *col.* 606. 7) *Sessio 18va Concilij Basilien.* Ut in *Actis.* 8) *Sessio* XXX. 9) Reliqua Decreta *Sess.* XXI. post illud superius N. 4. indicatum.

VIII. *fol.* 75. Opusculum de Defectibus Missae. Incipit: *Defectus misse sunt, quando requisita ad celebrationem misse deficiunt* &c. Editum pluries Sec. XV. *s. l.* et *a.* 4. Adjacet commentanti Editio *Rom.* paullo plura initio praemittens, addensque sub finem Articulum *De noua specie apparente,* et nomina 4. Theologorum, quorum autoritate nixus est Compilator, videlicet *Petri de Tarentasia, Durandi a S. Portiano, Alberti* M. et S. *Thomae.*

IX. *fol.* 84. p. 2. denuo *Basileensia.* 1) *Responsio ambasiatorum concilij basiliensis super articulis boemorum facta 23. die Junij.* Anno nempe 1435. Petierant *Hussitae* iterum exactum ad IV. *Articulos* suos *Basileae* 1431. propositos Responsum. En illud fortassis ἀνέκδοτον datum a Legatis, quorum